

Die XIX Augusti

IN FESTO

SANCTI MAGINI MARTYRIS TARRACONENSIS

Duplex.

OMNIA DE COMMUNI UNUS MARTYRIS PRÆTER SEQUENTIA.

Ad Magnificat in utrisque Vesperis.

Antiph. Magine Martyr Christi gloriose, qui siti aestuantibus p̄fidis tortoribus, ex arida terra ellicito fonte, p̄culum præbuisi, tua, quaesumus, oratio commendet nos indesinent̄r Deo ut suæ gratiæ r̄ore c̄rda nostra perfundat.

Oratio.

Deus qui hunc diem beati Magini Martyris tui triumpho consecrasti; exaudi preces populi tui, et praesta: ut qui ejus m̄rita veneramur, fidei constantiam imitemur. Per D̄ominum nostrum...

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

Maginus, seu M̄ximus, de cujus praeclaris gestis antiqua et constans viget populorum traditio, Tarraconensis civis et Martyr fuit. Hic mun-

danarum rerum pertaesus, ac solitudinis amore illectus, ut liberius Deo serviret, ad Brufagános montes perrexit, ibique non longe á Tarracone, reperto specu, eremiticæ vitæ genus inire coepit. Cum autem illorum montium incolas ádmodum rudes, atque èthnicæ superstitioni addictos invenisset, eisdem Christum humani gèneris redemptorem annuntiare, eorumque morès excòlere aggressus est eo successu, ut, accedente coelestium signorum virtute, ipsorum plúrimos ad veræ fidei lucem, et ad evangélicæ legis observantiam addúxerit. Hisce compertis, isqui á Maximino Imperatore praefectus erat Tarraconensi provinciæ, eum coram se accitum grávitèr increpavit quòd contra imperatoria edicta deos contèmnere, suisque praestigijs populus decipere audèret. Cui Magínus invicto animo opponit se praestigiatórem non esse, sed unum Deum, ejusque æternum Verbum Deum et Dominum Jesum Christum, populis prædicare, cui únice divinus honor debetur. Quamobrem iratus Praeses illum in tetrum cárcerem detrúdit, extrema supplicia eidem mñitans, nisi á proposito resiliat.

¶ Honestum fecit illum, etc.

Lectio V.

Tanta erat viri sánctitas, ut nonnisi illius imperio se exiturum daemonium clamasse ferant, quo filia Praefecti vexabátur. Adducto autem Magíno, ejusque precibus ejecto maligno spirítu, de christiana religione constantèr disserentem ingratus pater arctiori custodiá ipsum inclúdi, gravióribus constringi cæténis, fame, siti cruciari juvet. At Deus, qui mirabilis est in Sanctis suis, miro splendóre cárcerem illustrat, contractisque vñculis ac januis reseratis, per civitatis portam, quæ olim é Cúrrn, hodie á Sancto Magíno vocatur, ad montium Brufaganórum dilectam solitudinem liberum atque incólumen eum redi-

resinit. Quæ res statim ac Praesidi innóuit, eó milites immisit ut illius caput illicó abscínderent. Hi vero Praeside ipso efferatióres, cum ad specus pervenisserent, mitíssimum Christi Fámulum, cólaphis plagis que crudélitér mulctatum, per loca áspera ac vèpribus cónsita traxerant; fácilé ab eo interea impetrantes, ut ad eorum extinguendam sitim, fontem è terra eliceret, qui ad nostra usque tempora perseverat. Tandem strenuus fidei confessor ab iisdem, quibus benéfecerat, gladio percussus, ad æternam martyrii coronam advolavit.

℞. Desiderium animæ ejus, etc.

Lectio VI.

Sacrum ejus corpus christiani religiosé sepulchro condiderunt; íbíque deinde sacellum in ejus honorem erectum fuit, cui postea monasterium sodálium Ordinis Sancti Domínici accessit. Porro usque ab immemorábili témpore locus ille incláruit tum peregrinorum ex toto Catalauniæ principátu, et Valentino regno affluentia, tum fama miraculorum, præsertim á quovis morborum genere sanationum, quæ, invocato Magíni nomine, aut usu prodigiosæ aquæ ab eo olim elicítæ contigisse narrantur. At vero Tarraconenses, qui inclitum Martyrem concivem suum habuisse gloriantur, nulli populorum umquam secundi fuére in veneratione eidem exhibenda, fiduciáque sua in váldo ejus patrocinio collocanda. Ad prædictam autem á Cúrru portam veluti perenne monumentum extat sacellum illius memoriæ ab avorum pietate erectum, ubi perantiquo cultu célebris asservatur Sancti Magíni imago super línteo depicta ac muro affixa; loci tamen humiditate numquam vel mínimum laesa, licet férrea crates ad ejus tutelam aliquando appósita, et adhuc manens in portenti signum, fermé jam sit rubigine consumpta.

℞. Stola jucunditátis, etc.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII.

Cap. XVI. 24, 27.

In illo tempore: dixit Jesus discipulis suis: Si quis vult post me venire abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Et reliqua.

Homilia Sancti Basilii Episcopi.

(In Martyrem Mammètem.)

Quoniam in máxima celebritate hodiè refèrimus martyrum memoriam, mens omnis erecta est, et auris parata expectans, ut dignum aliquid tanto martyre dicatur. Ita namque comparati sunt sincèri et cándidi filii, ut magnífica de parentibus suis éxigant encómia, nec fácilè ferant amplitudinem eorum quæ deprædicanda sunt perdicentes periclitari humilitatem. Quid igitur sumus facturi? Quómodo et desideriis vestris satisfaciamus? Mémores estote Martyris, quotquot adiutorem ipsum adprecandum habuère, quibuscumque ex nómine advocatus in opéribus præsto fuit, quoscumque sanitati restituit, quotquot vitæ terminos prorogavit. Collectis in unum his ómnibus, ex communi symbolo Martyri encomium construite.

¶. Corona áurea. etc.

Lectio VIII.

Ista sunt Martyris encómia spiritualium charismatum divitiæ. Non est enim quod illum more sæcularium et externorum encomiorum cohonestemus. Non est cur patres et progenitores illustres

proferamus; nam turpe est aliunde ornare eum, qui propria ipse virtute illustris est. Hic Martyr non accépit aliunde quem habet splendorem, sed ipse per vitæ conversationem gloriæ fáculam accendit. A Magino réliqui, non ab aliis Maginus gloriam habet. Filii qui ab eo pietatem edocti sunt, in ipso gloriantur. Ipse enim ex se ipso virtutem uberitè profudit. Non quasi torrens aliquis confluenta alieno gloriatur, sed fons est, qui ex suis ipsius finibus decorem effundit. Celebremus virum non alieno sed proprio ornamento decoratum
¶. Hic est vere martyr, etc.

Lectio IX.

Ad Martyris memoriam et tota régio mota est, et ad illius festum diem urbs universa immutata gestit. Ne divitium quidem cognati excurrunt ad majorum suorum sepulchra, sed omnes ad pietatis locum accedunt. Vidas quemádmódu[m] virtus honoretur, non divitiæ? Ita Ecclesia cum eos qui præcessére honórat, eos qui præsentés sunt cohortatur. Ne, inquit, studeas divitiis, ne sapientia mundi exolescènti, ne gloriæ marcescènti. Evanescent hac una cum vita, sed cultor sis pietatis. Hac enim et ad cælum te évehet, hæc et inmortalem memoriám ac perennem apud homines claritatem tibi comparabit. Si quisquam igitur Magini memor est, ne admiretur divitias. Convénimus enim non ut divitem laudemus, sed ut paupertatem cum pietate conjunctam extollámus.

Te Deum etc.

Ad Benedictus Antiphona.

Imagine beatissime, civium Tarraconensium gloria, qui plúribus toleratis pro Christo cruciátibus gaudenti ánimo ad gloriosam martyrii palmam volasti, ora pro nobis Dominum. Alleluja.

DECRETUM.

TARRACONEN.—Memoria Sancti Magnoi Eremitæ M. Tarraconensis non solum adhuc in benedictione permanet apud concives suos et in tota Catalaunia, sed etiam devotio in eum majora quotidie accipit incrementa. Quapropter Rmus. D. Constantinus Bonet y Zanuy Archiepiscopus Tarraçonen. Cleri et Populi votis satisfacturus, à Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX humiliter postulavit, ut amodo ejusdem Sancti Magnoi Festum cum officio et Missa propriis et sub ritu duplici minori inscribi valeat in Calendario Dioecesano die decima nona Augusti. Sanctitas porro Sua, referente infrascripto Substituto Secretariæ Sacrorum Rituum Congregationis, benigne annuit ut Festum enunciati Sancti inscribi valeat in Calendario Dioecesano die qua idem Sanctus in Martyrologio Romano laudatur, nempe XXV Augusti, nisi in eodem jam sit affixum Festum majoris ritus vel dignitatis, quo casu Festum Sancti Magnoi affigendum erit primæ insequenti diei, modo in eodem Calendario liberae sub ritu duplici minori et cum officio et Missa ab eadem Sacra Rituum Congregatione revisis et correctis uti in superiori Exemplari prostant: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. — Die 28 Septembris 1876. — C. Episcopus Ostien. et Velitero. Card. Patrizzi S. R. C. Præf. — Locus ✕ sigilli. — Pro R. P. D. Plácido Ralli Secretario. — Josephus Ciccolini, Substus.

TARRACONEN.—Quum in Calendario Tarraconensi, juxta Decretum diei 28 Septembris anni elapsi, Festum Sancti Magnoi Eremitæ Martyris affigi deberet diei primæ liberæ occurrenti post diem XXV. Augusti; Rmus. D. Constantinus Bonet y Zanuy Archiepiscopus Tarraconensis à Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX iteratis humillimis precibus enixe postulavit, ut idem

Festum in Calendario Dioecetano loco diei in enuntiatio Indulto praescriptae inscribi valeat die XIX enuntiatio Mensis Augusti, attento quod in Provincia Tarraconen. ejus Festum ab antiquis temporibus postrema hac die recoli consuevit. Sanctitas porro Sua haec vota ab infrascripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario relata clementer excipiens, precibus de speciali gratia benigne annuere dignata est. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 4 Martii 1877. — A. Ep. Sabinen. Card. Bilio S. R. C. Praef. — Locus ✠ Sigilli. — Plac. Ralli S. R. C. Secretarius.

ILLERDEN. — Rme. Domine uti Frater.

Rmus. D Constantinus Bonet y Zanuy nomine Amplitudinis Tuæ à Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX humiliter postulavit, ut ad Dioecesim tibi commissam extendatur officium cum Missa in honorem Sancti Magini Eremitæ Martyris approbatum pro Archidioecesi Tarraconensi sub ritu duplici minori affigendum diei XIX Augusti: Sanctitas porro Sua haec vota ab infrascripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario relata clementer excipiens, de speciali gratia precibus benigne annuere dignata est: servatis Rubricis.

Dum autem Sanctitatis Suæ benignam concessionem Amplitudini Tuæ communico, Eidem diurnam ex animo felicitatem adprecor. — Amplitudinis Tuæ. — Romæ die 4 Martii 1877. — Uti Frater. — A. Ep. Sabinen. Card. Bilio S. R. C. Praef. — Locus ✠ Sigilli. — Plac. Ralli S. R. C. Secretarius. — Rmo Domino uti Fratri Episcopo Illerdensi.

Quum hoc officium dicendum in festo S. Magini Martyris, omnino concordet cum originali à S. R. C. reviso et approbato, imprimi potest. — Tarracone 30 Maji 1877.

JACOBUS DACHS, Vic. Gen.